

tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex ijs rebus, quæ quodammodo affecte sunt, ad id, de quo quæritur, & ad id totum, de quo disseritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio uerbi: ex ijs autem rebus, quæ quodammodo affecte sunt, ad id, de quo quæritur: alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex coniunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex caussis, alia ex effectibus, alia ex comparatione maiorum, aut parium aut minorum, ut definitio, ut contrarium, ut ea, quæ sunt ipsi, contrarioue eius aut similia, aut dissimilia, aut consentanea, aut dissentanea, aut ea, quæ sunt quasi coniuncta, aut ea, quæ sunt quasi pugnacia inter se, aut earum rerum, de quibus agitur, causæ, aut caussarum euentus, id est, quæ sunt effecta de caussis, ut distributio=